







DE  
RADICE CHINAE <sup>23</sup>  
EIVSQVE  
LIMITANDIS LAVDIBVS

---

AUCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI AC SVMME VENERABILI  
DN. D. HERMANNO PAVLO  
IVCH

SACRI PALATII CAESAREI COMITE  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET ADSESSORE PRIMARIO PATHOLOGIAE  
ATQVE PRAXEOS PROFESSORE PVBL ORD.  
SERENISSIMOR. SAXON. DVCVI VINARIENS. ET GOTHANI A CONSIL.  
AVL. ET ARCHIATRO N. N. ACADEMIAE CAESAREAE NAT. CV.  
RIOS. COLLEGA

PRO GRADV DOCTORIS  
DISPVTABIT  
IOANNES FRIDERICVS ERMEL  
DRESDENSIS.

---

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HORIS CONSUVETIS.  
DIE XXIII. NOVEMBR. MDCCCLIII.

---

ERFORDIAE  
Typis HERINGIANIS ACAD. TYPOGR.



RADICE CHINAE

LIMITARIIS IN VITIS

DR. D. HERMANNO BAYLO

PRO GRADU DOCTORIS

IOANNES FREDERICVS ERNSTI

IN ACADEMIA MARCH. COLLEGIJ BAYLEI

ERGO DIAE  
T. PUBLI. CLAVIS. A. 1700.





V I R O  
PRAENOBILISSIMO, CONSULTISSIMO AEQVE  
AC DOCTISSIMO  
D O M I N O  
**JO. CHRISTOPHORO  
SEYFFERTO**  
REGIS POLONIARVM ATQVE ELECTORIS SAXO:  
NIAE IN SVPREMO PROVOCATIONVM JVDI:  
CIO CONSILIARIO ORDINARIO.

V I R O  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO AC  
DOCTISSIMO  
D O M I N O  
**CAROLO OTTONI  
MENKENIO**  
REGIS POLONIARVM AC ELECTORIS SAXONIAE  
VECTIGALIVM ACCISORVM CONSILIARIO DO:  
MINO HEREDITARIO IN KLEIN-OPIZ.



V I R O  
P E R I L L V S T R I A C G E N E R O S I S S I M O  
D O M I N O  
J O A N N I B V R C K H A R D O  
A W I C H M A N N S H A V S E N  
D Y N A S T A E I N T W I T T E N D O R F E T T E I S S E R E G I S  
P O L O N I A R V M E T E L E C T O R I S S A X O N I A E P R A E  
F E C T V R A R V M C E N T V R I O N I,

V I R O  
N O B I L I S S I M O C O N S V L T I S S I M O D O C T I S  
S I M O Q V E  
D O M I N O  
D A V G V S T O C H R I S T I A N O  
E R M E L I O  
C O N S V L I C I V I T A T I S G R I M M E N S I S G R A  
V I S S I M O,



V I R O  
NOBILISSIMO AMPLISSIMO IURISQVE  
CONSULTISSIMO  
D O M I N O  
CAROLO CHRISTOPHORO  
WENDIO

GYMNASII REGIO-ELECTORALIS GRIMI  
MENSIS PRAEFECTO,

STVDIORVM FORTVNÆQVE  
AMPLIFICATORIBVS OPTIMIS,  
HAS

STVDIORVM ACADEMICORVM  
PRIMITIAS





IN ÆTERNVM GRATI ANIMI  
MONVMENTVM  
ET  
PERPETVÆ OBSERVANTIÆ  
SYMBOLVM  
DEDICAT CONSECRATQVE

*Cliens obstrictissimus devotissimusque*

JOANNES FRIDERICVS ERMEL,







DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
RADICE CHINAE  
EIVSQVE  
LIMITANDIS LAVDIBVS.

§. I.



In India Orientali, Persia, Malabaribus, Ceylan, Cochinchina, Cranganor, Coulan, Tanner, Japonia, & abundantissime in Chinae regno, radix quaedam nascitur, quae a loco natali, & ubi maxime provenit, vocatur radix China. Chinesibus dicitur lampata, lampaton, lampacos & bonti. (a)

A 2

§. II.

(a) Vid. VALENTINI *Histor. simpl. reformata* Cap. XIII. p. 112. §. I. Item NEVMANNVS in *Chymia dogmat. experimental* Tom. II. part. II. p. 2.

Et P. du HALDE in opere suo, quod Parisiis lucem publicam vidit sub titulo: *Description géographique, historique, chronologique, politique, & physique de l'Em.*



## §. II.

Hæc radix magna (b) & crassa est, tuberosa, inæqualis, longisque fibris capillata ac lignosa, manum longa, coloris intus pallide rubescentis, extus vero rufi vel subnigri, saporis terrei inertis levissime adstringentis, & sine odore.

## §. III.

*l'Empire de la Chine & de la Tartarie Chinoise* &c. &c. refert, quod etiam Chinenſibus hæc radix FOY-LING dicta ſit.

Nobis a regione China, appellatur radix china, vel Xina, chinna, ſchina, ſive rectius china officinarum; & noſtro idioma germanico, *Yocken* oder *Schweiß-Wurzel*, China *Wurzel*. Conf. VALENTINI Hiſt. ſimpl. reformata Cap. XIII. p. 112 §. 1. It. CAR- THEVSERI fundamenta Mat. Med. P. II. p. 421. §. I. NEVMANNI Chym. dogmat. Experim. Tom. II. part. II. p. 2.

Propter convenientiam adduci meretur ANDR. VESALII Epistoſta de radice Chinæ ejus modo propinandi ad Joachim. Rœlants p. 18. ubi ita locutus eſt: *Huftenus namque vel certum radicis nomen mihi conſtare non potuit, quum ipſa aliis china, aliis cbynna, aliis Cyna, aliis perinde ac tu ſcribis ecchina & a china*

*tantum vocetur; quaſi Inſula quedam, aut locus India vel nuper reperti orbis ipſi nomen dedisset.* Cui adſentitur GEOFFROY dans le *Traité de la Matière Médicale* Tom. II. Sect. I. Art. IX. p. m. 49. *La Squine*, inquit, *tiré ſon nom du Pays de la chine, d'où elle a été d'abord apportée dans les Indes Orientales, & de là dans toute l'Europe.* Eandem addit ſententiam RAJVS in hiſtor. ſua *Plantar.* Tom. I. p. 657. *Nomen, ait, habuit a china regione unde in Indiam orientalem primum illata eſt, & inde in Europam.*

(b) Si chinenſibus credendum ſit, hæc radix magnitudinem capitis infantis acquirat, vid. P. du HALDE l. c. Et CARDANVS in Epist. de radice chinæ adſtruit, craſſitatem hujus radicis, ad inſtar brachii ubi manui adjungitur, magnitudinis eſſe.



§. III.

Distinguunt alii hanc radicem intuitu coloris interni in albam & rubentem, & inter alios GARCIAS eam, quæ carnem continet albam, præ rubente commendat (c). Albedo hujus radice ut signum bonæ notæ habetur, & hinc Chinesibus vocatur *Pe-fou-ling*, vel *fou-ling* alba. Alia enim datur species, quæ itidem ob vilius pretium in largum cedit usum, & absque cultura in plurimis Chinæ regionibus provenit, & ab alba discrepat. Hæc pro specie *fou-ling* sylvestris habetur. Missionarii quidam ex ea Galliæ regione, ubi tubera terræ (Truffles) reperiuntur, orti, affirmant *Pe-fou-ling* ex *Chen-Si* esse vera tubera subterranea. Color ejus fere viridis est, quando autem fuerint siccata, parum subflavus (d).

§. IV.

Cuinam vero plantarum generi, planta descriptæ radicis accensenda sit, non una eademque clarissimis Botanicis est sententia. Multi in hoc consentiunt, eam nihil esse nisi speciem similicis. KÆMPFERVS (e)

A 3

qui

(c) vid. RAJI histor. Plantar. p. 657. it. P. du HALDE l. c.

(d) Conf. P. du HALDE l. c. Item *Commercium litterarium* Nor. ao. 1738. p. 143.

(e) In amoenitatibus suis exoticis Fasc. V. p. 781. ubi SANKIRA, inquit, vulgo QVA-QVARRA. *Smilax minus spinosa. fructu rubicundo. radice vir-*

*tuosa china dicta.* In incultis locis inter filices & vepres perennis luxuriat; Radice gaudens magna, dura nodosa, inæquali, paucis longisque fibris capillata, extus rufa vel nigricante, intus albida, vapidus saporis, Medicis radix china dicta, fatis illa ex virtute nota & celebrata. Scandit unum



qui profecto Asiam non pedibus magis, quam laudibus peragravit, hanc plantam accurate descripsit, & Smi-

unum vel alterum cubicum sine adminiculo; dumetis vero propinquis nixa altius enititur, Sarmentis lignosis, culmum hordaceum crassis, obscure circa humum spadiceis ex bianciali intervallo geniculatis, articulis alterne, & ad seriem reflexis, interdum gemina spina adversa, brevi & redunca interceptis. Ex geniculis singulis valva emergit duplicata, membranacea, temunciam longa, pennam lata anserinam, dura, stricta, duos extendens capreolos viciginis similes, quibus contacta quavis firmiter comprehendit. Ex valvis singula oriuntur folia, ex aliis simul florum corymbi, tum novelli interdum surculi. Folium perbreve vel pene nullo instructum pediculo, ex acuto brevi principio in orbiculum triuncialis diametri expanditur, in mucronem curtum repandum desinens. Tenue est, membranaceum, utraque facie diluto vitore nitens, ante mucronem ingendi valva undulans, margine integro, aliquando inæquali, alterutro

latere protuberante. Venis donatur quinis ramosis, ex basi folii in mucronem, media directe, ceteris arcuatis, protendentibus. Pediculo tenuissimo unciali, rubente vel lutescente insident flosculi plus minus decem, in umbellæ formam congesti, nudi in herbido lutei, hexapetali, petalis angustis, in gyrum repandis, ad seminis coriandri ambitum radiantibus, pellucidis, staminibus senis, apicibus in luteum albicantibus: Stylo turbinati medio insistente, capitulo cæso. Fructus, invalescente pediculo, florem excipiunt, cerasis figura, magnitudine, rubedine, ac nidore similes, rarius turbinati, aère magis, quam carne turgidi; carne constant pauca, sicca, farinosa, incarnata, saporis acerbi, mespilorum æmuli; in quæ semina involuta latent quaterna, quina vel sena, lenticulæ magnitudinis, figuræ lunaris, in orbem instar malvæ seminum conglobata, per siccitatem ex badio nigricantia, intus candida, durissima, substantiæ corneæ.



Smilacem spinosam fructu rubicundo, radice virtuosa China dicta, nuncupavit, elegantemque iconem nobis tradidit. Sic etiam hæc planta a JOH. & CASP. BAVHINO (f), itemque CLVSIO (g), æque ac TOVRNEFORTIO (h), BLANCARDO (i), HERNANDEZIO, RAJO (k), pro specie Smilacis asperæ habita est. De recentioribus Botanicis sunt COMMELIN, BOERHAVIUS (l), SCHWAL-

(f) In Pinace, p. 296. c. BAVHINVS Smilacem asperam fructu rubente; & JOHANNES BAVHINVS 2. 115. Smilacem asperam esse, uno ore perhibent  
(g) Non minus ex CLVSII histor. p. 112. elucescit, quod planta sit Smilax aspera fructu rutilo. Idque etiam confirmat ASTRUC in libro de morbis venereis p. m. 127.

(h) Hunc in finem quoque evolvantur Auctoris laudati Institutiones Rei Herbarie pag 654 ubi per eleganter planta hæc sub genere Smilacis describitur. *Smilacis enim, ait, species sunt: Smilax aspera, fructu rubente.*

(i) Simili modo allegatus Auctor in Lexico Medico p. m. 201. accedit sententiæ. Et placet ipsissimis verbis hoc loco uti, quæ de hac planta retulit: *Smilacis, inquit, in modum crescit, folia sere plantaginis ma-*

*gnitudine cordiformia: caules habet spinosos repentes & arboribus vicinis adhaerentes.*

(k) Consentiant deinde FRANCISC. HERNANDEZIVS in Histor. Mexican. L. 6. Cap. 55. Et RAJVS l. c. p. 657. quod herba habeat folia oblonga, acuminata, & lineis secundum longitudinem discurrentibus insignia, caules volubiles & tenues, fructum acinosum ac racematim dependentem in summis caulibus, qui quum maturaverit, nigrescit: radicem contortam, geniculatam, fulvam & arundinaceam similem, sed densam ac gravem. Arborea excelsas ascendit & complectitur.

(l) Cum BARKINSONIO, COMMELIN & BOERHAVIUS vocant Senecionem asiaticum, Jacobeam folio, radice crassa, nodosa & lignosa, china officinarum dicta.



SCHWALBE (*m*), & alii, qui plantam hujus radicis ad speciem Senecionis retulerunt. Crescit ubique in *Setchuen*, & inter filices & vepres in incultis locis maxime luxuriat. Folia humi repunt in longum, minus vero in latum, se extendentia (*n*). VALENTINVS (*o*) cum veteribus Indiæ scriptoribus, GARCIA, ACOSTA, & MONARDE autumat probare: Iſtam plantam in hortis partim coli, partim ſponte in campis crefcere, atque hujus ſaltem radix in Europam transportari; hortenfis vero tanquam optima, a Chinenſibus retineri.

## S. V.

Ex occidentali India, Hiſpania nova, regno Peruviano, Infulis Lucayenſibus, quin etiam ex Braſilia Americæ, regione Mexicana, & aliis Americæ locis, quoque radix adfertur, quam radicem Chinæ occidentalem vocare ſolemus. Braſilienſibus dicitur Jupicanga (*p*) & ſecundum HERNANDEZIVM Olca catzan Pahvatlanica, China Mexicana. A CASP. BAVHINO China ſpuria nodofa (*q*), & CLYSIO (*r*) China, Cina, Cinna, Chinna, Schina, & Chinæ radix occi-

(*m*) In loco natali hanc plantam Cl. Auctor ipſe naſci vidit, & hinc in Diſſertatione ſua de radice china, eam caracterizavit: Senecionem Sinenſem. folio dentis Leonis, flore aureo, radice craſſa & nodofa vulgo china officinarum dicta.

(*n*) Certum hoc eſſe affirmat p. du HALDE l. c. pari- ter quoque id legimus in Commerc. Nor. lit. 1738. p. 143.

(*o*) Hiſtor. ſimpl. reformat. p. 112.

(*p*) vid. Piſon. Hiſtor. Br. p. 257.

(*q*) l. c. (*r*) l. c.



cidentalis, appellatur; (s) ignobilior tamen minusque efficacior æstimatur (t), quam orientalis. Differentiam radicis occidentalis & orientalis optime monstravit RAJVS (u), dum orientalem esse radicem leviolem, rariorem, albidiolem, teneram magis, ac minus adstringentem, & tamen eosdem pene præster usus. Et GEOFFROY (x) putavit etiam occidentalem radicem eadem gaudere virtute ac orientalis (y).

## §. VI.

Respectu plantæ ejusdem, una cum radicis orientalis planta, ad idem refertur genus. Similiter enim secundum nonnullorum sententiam, SMILACIS asperæ species est (z); Secundum autem aliorum opinionem non

(s) Conf. NEVMANNVS l. c.

(t) Omnes fere Medici id ita tuunt, & orientalem occidentali anteponunt. Ex hoc igitur capite occidentalis radix teste NEVMANNO l. c. P. V. §. 8. cara ac rara est in nostra Germania, minorique copia ad nos fertur. Interim tamen solus fere ETTMULLERVS occidentalem radicem intuitu virtutis orientali prætulit. vid. Ejus Opera P. I. p. 421.

(u) In Histor. Sua Plantarum Tom. I. p. 657.

(x) In Tractatu Mat. Med. Tom. II. Sect. I. art. IX. p. m. 60.

(y) Intuitu coloris, figura externa, aliquo modo etiam differt occidentalis radix, ab orientali, quum intus magis rufa est, quam orientalis, & fere colori radicis bistortæ similis: Extus circulis multis, geniculisque circumdata; ut plurimum magis longa, inæqualis & minus crassa, quam asiatica.

(z) De planta occidentali idem ac de orientali sentiunt TOVRNEFORTIVS, I. & C. BAVHINVS, CLVSIVS; quapropter in *Institutionibus Rei Herbariæ* pag. 654. sequentem in modum descripta legitur:

B

tur:



non aliter, ac species fenecionis consideratur, & fenecio aspera fructu nigro, radice aspera, nodosa, farinacea, nuncupatur, atque fructu tantum ab orientali recedit. (aa) Illa enim fructum profert rubicundum, hæc autem nigrum.

## §. VII.

Errant igitur non solum ii, qui cum CARDANO VESALIO & aliis existimant, plantam hujus radice arundini esse similem (bb); sed etiam errore labuntur, qui sub radice chinæ, chinam chinam intelligunt. Differunt enim valde, teste experientia, inter se radix china, & china china ut cortex arboris cujusdam Americanæ, (unde etiam cortex peruvianus audit,) tam quod ad eorum naturam, quam quod ad vires.

## §. VIII.

Nostram radicem in Europa primum innotuisse circa annum 1535, testantur THEVETVS (cc) & VESALIVS

tur: *Smilacis species sunt, 2*  
*Smilax aspera minus spinosa, fructu nigro* C. B. Pin. 236. *Smilax aspera* J. B. 2. 16. *Smilax aspera nigro fructu* CLVSII hist. 113. Et D. HANS SLOANE Ducis quondam Albatimarij, Insulae Jamaicae Gubernatoris Medicus, in Catalogo Plantar. Jamaicae quoque *Smilacis* speciem esse, non dubitat. Conf. quoque NEV-

MANNVS in Chym. dogm. experiment. Tom. II. P. II. pag. 2.  
 (aa) CASP. BAVHINVS eam vocavit interdum chinam linnariam nodosam.

(bb) CARDANVS in Epistola de radice chinæ pag. 79. NEVMANNVS l. c. part. II. pag. 4. §. 8. It VESALIVS in Epist. de rad. Chinæ pag. 13.

(cc) vid. Cosmographia universalis Lib. II. Cap. 25.



¶s (dd); cum quibus dissentire haud videntur GEOF-  
FROY (ee), & ASTRUC, quorum imprimis ultimus omnem  
industriam adhibuit ex VESALII curriculo vitæ & studio-  
rum, ad stabiliendam hujus sententiæ veritatem (ff),  
certum ac determinatum; tempus eruendi.

g. IX.

Orientalis & Occidentalis radix facile cariem fe-  
cit, vermibusque arroditur, & multo post tempore ce-  
teroquin iners redditur. Adeoque illa dicitur optima,  
quæ est recens, compacta, solida, ponderosa, non cario-  
sa, vel vermibus arrosa. Fraudulenti homines in  
Hollandia lacunas hujus radicis & foramina massa qua-

B 2

dam

(dd) In Epistola de radice  
chinæ VESALIUS refert, quod,  
dum scientiæ medicæ Venetiis  
studeret (id quod fuit circa an-  
num 1535. & 1536.) incla-  
ruisse radicem chinæ, idque  
ex ejus verbis patet, p. m. 12.  
quum ita scribit: Dum enim ad-  
huc Venetiis sub Præceptoribus  
præcipuis illic artem exercenti-  
bus Medicis, egros inviserem, ra-  
dix ista non sine maxima expecta-  
tione, summiq; laudibus illic  
fuit perlata. &c.

(ee) In Tractatu de-là Ma-  
tiere Medicale Tom. II. p.  
53. verba ejus ita sonant:  
Des Marchands Chinois Lui ont  
donné de l'autorité pour la premie-  
re fois environ l'an 1535. Car  
ils affuroient, que cette racine

guérissoit les maladies venerien-  
nes, la goutte & beaucoup d'au-  
tres maladies &c.

(ff) Animadversiones huc  
spectant, quas fecit Astruc l.  
c. pag. 127. VESALIUM enim,  
ait, cum natus esset anno 1513.  
consequens est vigesimo secundo  
vel tertio ætatis anno, adeoque  
circa annum a Christo nato 1535.  
vel 1536. Medicina studio operam  
navavisse, ac artis tyrocinium  
Venetiis fecisse potissimum cum li-  
queat auctoritate VALERII AN-  
DREÆ in Bibliotheca Belgica  
VESALIUM anno 1537. Pata-  
vii publicum anatomæ Professo-  
rem fuisse. Conf. deinde GEOF-  
FROY dans le Traité de la Ma-  
tiere Medic. Tom. II. pag. 53.



dam ex bolo, tragacantha &c. composita replent, cui ad pondus augendum suspicante NEVMANNO, (gg), lithargyrium addunt, & colorem mixtura quadam tingente restituant, & sic exesam atque corruptam radicem pro bona ac salutarī dividendunt.

## §. X.

Utrum radix China orientalis & occidentalis recens e terra effossa, odorem exhibeat nec ne, ignotum est: In sicca, qualem nobis mittit India, nullus apprehendi potest (§. II.). Unde haud sine ratione concluditur, in naturali hujus radice mixtione, partium volatiliū & spirituosarum nec quantitatem minimam inesse.

## §. XI.

Sapor ejus terreus, iners & levissime adstringens (§. II.), salium explicitorum praesentiam non arguit, multo magis principii salini activioris absentiam probat (bb).

VESA-

(gg) In chym. dogmat. experiment. pag. 6. 8. 13.

CARTHEVSERVUS quoque l.c. part. II. pag. 423. hoc etiam commonefacit, idque eo magis, quia hoc mangonium hominibus aegrotantibus propter admixtum lithargyrium, nocivum evadere potest. VESALIVS suo quoque tempore conquestus est de fraudulentia mercatorum in Epist. sua de radice Chinae p. 19. Quum

mercatores, ait, invenies, qui ut cariem & teredinem abesse fingunt, Chinam perinde vulgari officinarum bolo armenio involvunt, ac gingiber emplastica illa terra abduci novimus, quod rubescens in officinis, ac potissimum Antverpianis, prostat.

(bb) LEMERY oleum & sal essentialē sancte defendit; & deinde HERMANNVS in Cynosura Mat. Med. pag. m. 41. magis probabili conjectura effectū



VESALIUS (ii) suo tempore fatetur, nullius vel stuidipi saporis inesse.

§. XII.

fectu nimirum & præstantia hujus radicis, salium explicitorum præsentiam statuere voluit, quum Sarsaparille, inquit, & china effectus probat sal blandum, quod in farinacea Sarsaparille substantia, & in substantia China nonnihil resinofalacet, & in utriusque radicis decocto manifeste se prodit. Hoc cum tenuissimarum partium, & sanguini nostro naturali valde analogum sit, salia seu spiritus non tantum exaltat. sed & acida quevis, pertinacissimam etiam, remotissimis partibus inbarentia, a quibus lues venerea, artbritis scorbutus, atrophia, pbtbist, alitque morbi oriuntur, infringit, & cum blanda vi anodyna per diaphoresin expellit &c. Huic quoque se subscripsit SCHVLZIVS in sua materia medica p. 340.

NEVMANNVS vero l. c. p. 8. §. 17. hanc Sententiam in conjectura tantum positam plane rejecit, & contrarium per experientiam docet. Ut eo melius de veritate L. B. convincatur, laudati Auctoris verba ipsissima adducam:

*Ratione der Bestand-Theile, oder innerlichen Mixtion sagt LEMERY, auch alhier: Sie hette viel Oel und Sal essentielle, woraus dann handgreiflich erbeller, das er solche Wurzel, wie vielleicht die meisten andern Dinge mehr, gar nicht examiniret, denn wolfern etwas wider die offenbare Wahrheit darzu recht grob gehandelt heisset, so ist dieser. Soviel Oel das pure Stroh, oder sonst eine innocente vegetabilische Materie, z. E. Weisbuchenholz oder dergleichen giebet, wenn man es mit Wasser destilliret, so viel wird man auch von der radice china erhalten. und wo fasse doch dieser Wurzel das viele Sal essentielle? Schade! das ein solcher fleßig gewesener Mann dergleichen avanciret; Denn den blossen Bücher-Schreibern, oder Leuten die in der Chymie nicht gearbeitet, und nur Collectanea theoretica & imaginaria ediren, kan mans noch nicht so verderecken, es sey dann das sie sich manchemahl noch mehr, als die arbeitende einbilden, oder in ihren Scribten jene wohl gar verachten.*

B 3

Der



## §. XII.

Haëenus quidem de radicis chinæ elementis iis, quæ alioquin gustu & olfactu in multis corporibus manifestari queunt, paucis locuti sumus; nunc etiam ad analysin chymicam tanquam communem corporum naturalium examinatore accedamus, visuri, utrum conjecturæ nostræ cum veritate consentiant, an plura nostram radicem constituent elementa? Operæ igitur pretium erit, ut inquiramus ulterius, ex quibusnam elementis sit composita, & quomodo tandem ad genuina corporis hujus perveniamus elementa.

## §. XIII.

Fiat itaque in radice nostra periculum, & patebit analysi instituta, hujus radicis ℥ij largiri ꝑ extracti spirituosij primi, nec non ℥o gr. xiv. extracti aquosi secundi: Modo autem inverso ℥v ꝑ extracti aquosi primi & grana xiv. extracti spirituosij vel resinosi

*Doy Herr D. Herrmann will zwar nicht so plump kommen als der Lemery. Denn er redet nur von Salz allein, und sagt: Die Wurzel hette ein Sal blandum balsamicum, welches aber auch nichts gesagt heisset. Ein anderer gelehrter Mann spricht: Sie hette principia acris & austera, sulphurea tenuia cum interspersa multa inutuli mucilagine &c.*

(ii) l. c. p. 20. Nam, ait, utcumque chynam, modo alioquin siccam, & consissentia alioquin massicæ, ac dentibus conterar, nullo illam sapore præditam asfirmare possis; longæque adhue minus, (quantum in illius, non autem ex adjacentium pharmacorum natura est) odorati quidquam præferri, neque unctuosi quidquam, quod alii in ipsa observasse contendunt, de gustanti, aut alias periractanti ostendit.



sinofi suppeditare, cum remanentia 3x & gr. xxvii. partium infolubiliū & inutilium terrearum.

## §. XIV.

Ignem, ut fortem examinatoreū chymicum, huc vocare, & per istum radicis naturam inquirere, non bene, multo magis ad scopum nostrum inutile esse, censemus, quum non solum nobis videatur verosimile, per ignis fortiorem resolutionem & aliqualem nisi totalem destructionem, naturalis corporum constitutio vehementer mutatur, & nova producta sistuntur; sed etiam, quia natura nostra tali instrumento forti non gaudet, cujus ope radicem hanc sibi oblatam, in usus corpori nostro salutareū possit convertere, potius menstruo gaudet sulphureo-salino-aquoso, menstruo ventriculi sic dicto. Quilibet igitur rationem perspiciet, quare idoneis solummodo radicem nostram mensuris, spirituoso scilicet & aquoso examinavimus.

## §. XV.

Producta vero, quæ per analysin chymicam (§. XIII.) sistuntur, sunt fixa pauca ac valde iners substantia resinoso-gummosa, copiosæ terræ teneriori ac quasi farinaceæ immersa (kk).

## §. XVI.

(kk) Cum Cel. CARTHEV-  
SERO hanc fixam substantiam  
præsertim gummosam l. c.  
Part. II. pag. 424. inertem vo-  
co. Quoniam analysi chy-  
mica confirmante, in infuso

& extracto nullus odor ac sa-  
por singularis reperitur. In-  
fusum dein aquosum v. g. li-  
cet rubro colore tinctum sit,  
nauseosum saltem & vix sen-  
sibilem balsamicum odorem  
spirat,



Elogia radices chinæ intuitu virtutis & efficaciam in lue venerea, adfectibus scorbuticis, scabiosis, pluribusque morbis ab impuritate humorum oriundis, magni esse momenti, a variis immo multis Medicis autoritate & dignitate magnis, exclamantur (11) & non

spirat, vappidumque saporem, instar aquæ simplicis tepidæ possidet. Inspissatum extractum fusco rubicundum deterioris fere conditionis est, & odore non minus quam sapore destituitur. Tinctura spirituosa prima, quæ aureo colore gaudet, iridem insipida penitus, atque inodora est, & evaporata flavo-rubescentem massam, relinquit, in qua levissima saltem odoris & saporis balsamici nauseosi vestigia notantur.

VESALIUS l. c. p. 21. 22. nostram sententiam corroborat, dum ita scribit: *Quoniam interim dictus jam antea supidus sapor, citra omne adstrictionis iudicium, in china occurrit, neque quantumvis simplici aquæ incoquar, alium saporem aquæ inder, quam ex bordeo corticibus non emundato, & minima dulcis radices portione consurgere*

*animadvertes, rubescente pariter non nihil china decocto sulvi admodum vini instar, aut ejus quod ex longa in cantbaro mora ruborem contraxisset: adeo ut bine, quod ad manifestas qualitates spectaret, vis tantum in sudoris urineque provocatione, & illis virutibus quibus china hodie probatur ex ipsius decocto, quam ex bordei sperandum esset. NEWMANNVS l. c. §. 16. inquit: Ich, finde es vor ein unkräftiges, also gewis nicht viel nützes terrestrisches Wesen.*

(11) Apud du HALDE l. c. de usu hujus radices in India relatum legimus, quod ejus ibi haud minimus sit, & nullus de ejus effectu salutari amplius dubitet, quum omnis natio observationes instituisset: Verum enim vero hoc tantum restat, cuiam scilicet morbo maxime specificum sit? id quod iudicatu difficillimum



non tantum eo statim tempore, quum ex India ad nos transmissa fuerit, magno fuit in usu, verum etiam ingreditur adhuc multa, immo notissima decocta atque essentias, sanguinis ac lymphæ depurandæ ergo (*mm*). Specificæ in lue venerea multum prodesse a principio statim ad tempora nostra usque communiter fere creditur. Nec defuerunt, qui, ut chinæ radicem vendibiliorem reddant, omne morbi genus ipsius decocto ab incolis pelli, graviter adituant. Contigit præterea, quod per usurpationem Imperatoris CAROLI V. ejusque aulæ, radix nostra auctoritatem, magnumque nomen & opinionem brevi nacta sit; quo factum est ut absentes, quibus summum mundi Principem china usum esse, constat, magnifice de hac remedio &

sentiant

linum erit, eum in omnibus Medicorum Chinesium medicamentorum formulis reperitur. Conf. quoque Commerc. lit. Nor. 1738. p. 143.

(*mm*) Propter tantam nominis sui famam, quam ex multis rationibus consecuta est, in innumeris fere medicamentorum formulis, contra enarratos morbos a Medicis præscribitur, putantibus quippe quod decoctum sanguinem purificans virtute sua absque radice chinæ non gaudeat, etsi VESALIUS, NEVMANNVS, GARTHEVSERVS aliique locis

citatur. de chinæ efficacia maxima cum ratione ex ejus natura & elementis eam componentibus inerribus (§. XIII. XI. XV.), non parum dubitant. Posteaquam, quum destillata nihil boni & efficacis ostendunt; hinc frustra quoque ad aquam antiphthasicam vocatur. Si quid etiam radix præstat, id partibus paucis suis resinosis præstat. Igitur etiam tunc tinctura hujus radicis, de qua BENVINVS & JVNCKERVS mentionem fecerunt, & essentia, Essent. Lignorum & alia, quas ingreditur, celebrari potest:

C



sentiant & iudicent. Testante enim VESALIO (nn), nomine & factis immortalis iste Imperator suo potius Marte, quam D. CORNELII tunc temporis Medici ejus cubicularis consilio, chinæ radicis decoctum adsumsit, etsi, uti posteaquam in Imperatore & aliis gravius morbo vexatis, minus præstitum, observaverimus. Nam laudatus VESALIVS in Imperatoris morbo, desideratos ac laudatos radicis hujus effectus, consecutos esse negat, multo magis fidelissime testatur, quod Imperatorem, postposita china, occasione articularis morbi ejus & mali habitus, decocto ligni quajaci sanasset (oo).

## §. XVII.

(nn) In Epist. de radice chinæ pag. 12.

(oo) l. c. pag. 14. ita scribens: Casarem decocti chinæ adsumendi libido quadam invasit, facilius huc allectum, quod tantopere vel ideo china commendaretur, quod tempus quo hac utendum est, brevius victusque ratio longe, quam in quajaci decocto facilius, minusque legibus, (ut si dicam) adstricta, præscriberetur, & pag. sequenti 15. pergit: Præterea Casar eo animo, quum recte haberet, decoctum urgenti negotiis intermittere visus est, ut in autumno id rursus accuratiori cura repetere, quodam modo constituerit: nunc ex valetudine præditus, qua in exercitu po-

tissimum fruitur, & que illum rotius orbis causa continuo esse, boni omnes supplicibus votis optare deberent. Adde quod post chinæ adsumtionem sepe maturius solito surgat: interdum ante prandium ad venationem, aut alias ad vicina que hic circumjacent amenissima loca obequitans: ac non ita intempestive, post meridiem nimirum (ut alias sæpe solet) prandens: adeo ut nunc majus intervallum ipsius lauto, & quod multis miraculo est, copioso prandio ac tenuissima sibi ex more cæna, interveniat.

Perperam igitur NEWMANVS l. c. VESALIVM accusavit, qui l. c. promulgasset, per usum radicis chinæ Casarem



S. XVII.

Prima & præcipua virtus, qua potissimum polleat radix china, & quæ ab omnibus fere, qui ejus mentionem fecerunt, hæc est, quod prædicetur ut universale & infalibile remedium, quod que in primis morbum gallicum, ejusque symptomata omnia specificè & radicitus tollat (pp) Nostrum igitur censemus officium esse, ut investigemus: utrum ex sua natura vel qualitate occulta, vel per traditionem imitata, id faciat, nec ne? In genere vero medicamentis diaphoreticis & diureticis adnumeratur. (qq) Pro mea multorumque Medicorum peritissimorum sententia, ratione non minus, quam experientia suffulta, nullius fere est usus specifici, & rectius (uti

C 2 ex

rem Carolum quintum sanasse (§. XV. nota kk de vesalio) id quod in sequentibus §. §. abunde demonstratur.

(pp) Quum primum radix china ad nos perlata, & priusquam in Europa in usu fuerit, gloriati sunt mirum in modum mercatores de præstantia ejus in dicto morbo, & ad stabiliendam specificam hanc virtutem, maximum argumentum persuasorium desumptum erat, ex relationibus Indorum, unde per totam Europam famam sibi confecit. An vero argumentum hoc solum sufficiat, peritis Medicis relinquo.

(qq) Diaphoreticam & diureticam virtutem non aliter exerit, in decocto, ac aqua calida simplex & alia decocta aquosa calida v. g. Decoctum Theræ &c. quæ cum calore suo sanguinem aliquo modo calefaciunt ejusque circulationem reddunt, tum emolliendo tubulorum cutis, & vasorum urinariorum tonum relaxant, & sic diaphoresin æque ac diuresin modice promovent. Quicquid igitur nostrum decoctum in morbis præstat, id præstat ut aqua simplex calida adsumta.



ex §§ XI. XII. XIII. XV. patet), inertibus, quam ad-  
vis medicamentis simplicibus adnumeranda est (rr).  
Ex odore enim & sapore, elementisque corpus quod-  
cunque constituentibus, virtutes ejus consideramus ex  
parte ac dijudicamus: Ubi vero pauca & inertia cor-  
pus componunt elementa, ibi etiam nullæ vel minus  
efficaces virtutes insunt. Interim tamen dantur do-  
cumenta quam plurima virorum quorundam magnam  
nominis celebritatem consecutorum qui per experien-  
tiam de usu salutari universali ac speciali in morbo gal-  
lico nos convincere student. (ss).

## §. XVIII.

Priusquam in indaganda virtute progrediamur,  
tempestivum hic esse autumamus, etsi jam (in §. XVI.  
nota mm) medicamentorum formulas, quas ingredi-  
tur pertractaverimus, de exhibitionis forma radice sibi  
relictæ paucis loqui. Frequentius sub forma  
decocti & infusi, quam in substantia præscribitur &  
propinatur; qua propter in præsentis decocti  
chi-

(rr) De fama & laudibus  
nimis nonnullorum exotico-  
rum medicamentorum, qua  
cum ratione & experientia,  
sicuti radix china, pugnant,  
nunquam satis laudandus  
Andr. VESALIUS olim con-  
queritur, & l. c. p. 20. ita mo-  
net: Quando non adeo cum agris  
ipsum effemus insani, ut exotica il-  
la, quantumvis cum ratione &  
artis nostræ methode pugnant

tantopere admiremur, in usum  
que ponemus. Neutiquam  
enim colligere queo, unde china  
ad scribendum veniat, quod non-  
nulli jam multe ante illi tribue-  
runt, atque quo nunc novo insul-  
ta novis (ut fama crescit) civi-  
bus extolli capit. Et.

(ss) Conf. GARCIAS, Aco-  
sta, MONARDVS, FALLOPIVS  
PROSPER ALPINVS CASP.  
HOFFMANNVS, & alii.



chinæ præparationis modum & exhibendi rationem describam. Recipiatur itaque radicis chinæ acutiori cultro transversim in tenues lamellas discissæ, uncia una, & cum aquæ fontanæ libris septem in olla terrea admodum capaci probeque clausa, per viginti quatuor horas leni igne ad dimidium usque coquatur; refrigerat deinde & coletur per linteum (11).

C 3

§.XIX.

(11) Præparationem & sumendi rationem prout tempore VESALII in usu fuit, a dicto auctore l. c. p. 23. ita descriptam legimus. Præfert VESALIVS & quidem omnijure radicem chinæ densioris, & minus teredine seu carie implicitam, & recentioris minusque aridam, rarioribus teredinibus & carie perforatis vetustiorique & magis tæca. Hujus, inquit, radicis uncia, acutiori cultro transversim in quam fieri potest tenuissimos orbiculos seu frustula discinditur, perinde ac si numerus in teredini figura mutuo incumbentes quasi divideret, aut malum citrium, aut raphanum in mensa ex more transversim in frusta conscinderet. Frustula vasi impleantur siccili implumbato seu ut etiam vocamus, incitrato, quod plus minus ad coctionis commodita-

tem sedecim aquæ libras capere possit, quodque non nimium patenti sit Orificio, cui cooperculum respondere debet. Frustulis dein affunduntur aquæ duodecim libra, quam fontanam esse convenit, aut alioquin illi proximam, qua propriis ac peculiari- bus indicis optima & laudatissima loco consetur; qua in observatione non minimas partes sibi aquæ ductus vindicant, ne suis sicciliter per plumbeos canales longo progressu labantur: Ut vero china aqua horis viginti quatuor molius immacerent. Illam calidam non tamen ignitis cineribus eo intervallo impostam servare decet: dein lento & continuo igne, qui fumum non elat, decoctio ad tertie partis evaporationem est celebranda. Inter autem hac operationis nocte aut saltem sub vesperam, pridie quam decocti usus erit. Licet mox a coctione a-

quam



## §. XIX.

Præparato sic decocto, servetur tunc ad usum. Aeger vero priusquam bibat, primas vias ab impuritatibus & cruditatibus convenienti purgante munder, postea mane jejunoque ventriculo uncias decem sumat. Præteritis octo horis post cœnam, secunda vice die eadem quantitas eadem resumatur, & sudet ægrotus quaqua vice in loco idoneo per duas horas.

Hac

quam per linteum pannum colore, & alteri vasi inicere, aut ipsam non colatam in olla finire, & tantum ex illa per colatum trajicere, quantum suis temporibus aeger est assumpturus; vid. quoque GEOFROY l. c. p. 56. Ego lubenter ob spatii angustiam finem verborum in hac re posuisssem, nisi animadversiones aliquæ laudati auctoris mihi arriserint. Vult enim, ut decoctum in ea olla cuius cocta est, cineribus modice calidis tantisper sit imponenda, & non procul ab igne se movenda; ne aliquando refrigeretur, dum illius decocti tota die usus esset. Nam, ait, *uni id duntaxat diei servit: & narrato jam modo in dies quam diu assumetur recens decoctum apparari decet; alioquin chinam extollentes metuunt*

*id, si diutius asseruetur, acidum reddi. & quodammodo citius horum decocto, parum memores quantum caloris & virium aromaticarum china, illam tantisper prædicantes, alioquin tribuant.*

(uu) In quantitate & exhibendi tempore conveniunt quoque peritissimi Medici mecum. Nonnulli tamen volunt, ut quarta hora matatina calens decoctum porrigatur, octava hora prandatur, quarta rursus post meridiem calens offeratur, octava dein cœnetur: videlicet, ut inter calentis decocti, quod mane exhibetur, assumptionem, & prandium, quatuor interveniant horæ, & inter prandium, ac calens decocti a meridie propinationem, octo: & inter hanc & cœnam quatuor: uti inter cœnam & quæ



Hac methodo continuetur per quatuor septimanas, & æger in conclavi detineatur, nullumque purgans, uti in principio factum est, ulterius exhibeatur. In tota curatione alimenta debent esse humectantia ac succi boni (xx); & loco vini vel cerevisiæ, sequenti potu ad extinguendam sitim, uti potest. Sumatur nimirum uncia una dictæ radicis lamellarum tenuiarum (§. XVIII.) semel decoctarum, & in loco umbroso siccatarum, infundantur aquæ simplicis libræ septem, stent per viginti quatuor horas, & coquantur deinde in vase terreo capaci, eodem modo ad dimidium usque, ac (§. XVIII.) dictum est; ex vase per colum in aliud trahatur, & servetur ad usum pro potu ordinario (yy).

§. XX.

quæ mane offertur portionem, octo etiam horæ occurrunt &c. vid. inter alios VESALIUS l. c. p. 24. 25.

Sudatio post adsumptionem calidi decocti, ægro in lecto stragulis lecto decumbente, fiat. Sollicitatus deinde sudor, linteis calidis abstergendus, ac mundum, siccum & calidum indusium induendum est. Tandem e lecto furgat, in conclavi modice se moveat, prandiumque assumat. Post prandium si chinæ decoctum rursus exhibeatur, lecto etiam se tradat æger, reliquaque eodem modo faciat, ac brevi ante dictum fuit.

(xx) [Ut appropriata alimenta hic adduci merentur, pulli gallinacci, capones, gallinæ ipsæ, caro vitulina, pisces pro appetitu, eorumque jura parum salita ac non acida, panes sale non conditus vel biscoctus. Omnia hæc non tantum humorum acrimoniam temperant ac diluunt; verum etiam siccitati sunt convenientes, dum humectant. Cibi vero aromatici & rescicantes interdici sunt, ut & nimium saliti & acidi.

(yy) GEOFFROY l. c. part. II. pag. 56. & VESALIUS l. c. p. 24. hujus decocti usum tota



§. XX. *animos obedientiam*

Præterea quoque iis, quibus decoctum chinæ porrigimus, scitu necessarium esse putamus, ut durante curatione cibum & potum, motum & quietem, somnum & vigilias, excrementorum curam animique affectus qualescunque sint, probe observent ægri. De cibo & potu jam in præcedenti (§. XIX) solliciti fuimus, quod videlicet præscriptum decoctum secundarium chinæ radice tepide in prandio & cœna, & si alias sitis molestat, bibatur, vel si avide æger vinum appeteret, cum hoc decocto misceri posse aliquam vini portionem, concedimus zz). Quod si nocte æger dormire solet, somnus nunquam interrumpendus est; & iis, qui sine noxa, multo magis cum virium levamine, a meridie vel alio tempore pro causarum morbi differentia, alioquin somnum capere consueverunt, præscribatur, ut eo tempore dormiant; vigiliis deinde reliquum tempus consumant, moderatoque motu utantur. Quemadmodum vero modo antea dictæ (§. hujus) res non naturales ad felicem curam multum con-

ta die loco potus ordinarii commendant. De præparatione decocti, & modi propinandi radice nostræ quoque conferatur AVGER. FERRERII *vera Medendi methodus & ejus castigatioes, Medicinæ Præctica* p. m. 265.

(zz) Monuit etiam VESALIVS l. c. p. 29. Carolus V.

Imperatorem invictissimum hac lege priorem potum vel haultum, ex vino eum in modum cum decocto chinæ permixto, alterum vero ex solo decocto magna ex parte assumpsisse, quum ventriculi imbecillitas, tanta aquæ vigriaviter affici videretur. Conf. quoque CARDANVS l. c. pag. 83.



conferunt; sic quoque non minus eam juvant, aer temperatus, siccus, serenus, non putridus, itidem, excretiones consuetæ v. g. transpiratio insensibilis, excretio ceruminis aurium, mucinarium, urinæ, & fecum alvarum, bene respondentes, quam animi affectuum omnium, præsertim veneris moderamen (aaa).

§. XXI.

Et si radix nostra, & potissimum ejus decoctum celerem famam obtinuerit, tamen eam parum diu retinuit in sananda lue vera gallica, in qua a multis Medicis celebratur magnique æstimatur, licet encomia in traditione sola mercatorum chinensium consistant (§. XVII. (99)). Nam omnes fere tam veteres, quam recentiores eruditione & fama magni Medici in eo con-

ve-

(aaa) A quibusdam sancte narratur, dum decocto chinae uterentur, adeo ad venerem provocatos fuisse, ut quum diu a coitu temperassent, illumque variis rationibus fugerent, a concubitu non abstinerint. PAVL. ZACH. de affectibus hypochondriacis Lib. I. cap. 31. & HORAT. AVG. in Ep. & Conf. Med. Tom. II. Lib. II. p. m. 379. quoque testantur, quod stimulet venerem, immo semine genitale adeo augmen-

tet, ut ea utentes ad voluptatem carnalem vehementer incitet.

Quibus deinde subscripsit CARDANVS l. c. p. 83. quando monuit, ut caveat quisque in omni hujus decocti exhibitione ne venere utatur, quia ispotus, (vel ut putat), potius vitæ ratio venerem magis exciter. Opinatur quoque exitialem pene esse coitum tempore curæ, sicuti ventus & frigus.

D



veniant, ingenueque fatentur, quod ex certis argumentis ex analysi chymica radicis defumtis (§§ X - XIII.) atque experientiis confirmatis pateat, nullam plane esse proportionem inter effectus & vulgaria virtutis elogia. v. g. HIERON. CARDANVS (bbb), ANDR. VESALIVS (ccc), radici chinae, lignum quajacum præ-tulerunt & efficacius medicamentum ejus decoctum esse, perhibent. JOH. ZECCHIUS (ddd), quoque ad luem delendam hanc, decoctum guajaci primas partes obtinere, affirmat. Nec defunt alii, qui testimonia notatu digna adjiciunt, quod in lue venerea vel parum vel nihil conferat, uti sunt ANTON. MVSA BRASSAVOLVS (eee), ANTONIVS FRACANTIANS (fff), JVL. PALMARIUS (ggg), GABR. FALLOPIVS (bbb), CASP.

(bbb) In Epist. de radice chinae p. 81. ita scribit. Addunt aliipodagram & coxendicis dolorem, tum lepram, scabiem, elephantiasin, tum etiam morbum gallicum hoc presidio curari posse: De quibus nihil habeo quod referam, cum experientia hoc constent, nihilominus non adeo hujus radicis decocto favere decrevi, ut illud ligni sancti aut corticis decocto conferam.

(ccc) In eadem epistola quoque, citatus Auctor fatetur: Se compertissimum habere chinae decoctum in ossium excrecentiis tumeribus, pravis ulceribus

venereis, quajaci decocto longe inferius esse.

(ddd) Consultat. Medic. 76.

(eee) In Tractatu de radice chinae usu.

(fff) In ejus Libro de morbo Gallico.

(ggg) Lib. I. de Lue venerea Cap. 14.

(bbb) Omnium fere disertissime locutus est de radice nostra & ejus usu, in Tractatu de morbo Gallico Cap. 60. quum, non utatur, inquit, hac radice in morbo gallico, experius eum sum ter & quater, & nunquam aliquid potui assequi.



GASP. BAVHINVS (iii), JOHAN. ASTRVC (kkk),  
GEOFFROY (lll), aliique plures.

§. XXII.

Progredimur nunc ad alios morbos, in quibus etiam radix nostra magnopere commendatur, ut præstans, immo præstantissimum medicamentum. FALLOPIVS (mmm) enim in cancro, ut miraculosum decoctum ad cælum usque extollit; & TVRRE (nnn) in tophaceis tumoribus & nodosis valde commendat; RIVERIVS (ooo) quoque mentionem fecit decocti radicis chinæ in affectibus hepatis, præsertim si obstructions adfuerint. Et jam pridem sane apud omnes in confesso est, radicem chinæ, podagræ, tumoribus

D 2

œdema-

(iii) Lib. 2. Comp. Med. cap. 10.

(kkk) Meritissimus in re medica ASTRVC, cujus opus de morbis veneris aureum nominari meretur, radicem chinæ non adeo laudat, ac guajacum, quum tales effectus, ac Guajacum, non edat. Hinc ipsemet in laudato libro disserit pag. m. 129.

At vero ad lucem parum utilem esse, & si quid forsitan valeat, saltem Guajaco virtute plurimum cedere. Uterius deinde p. 128. fatebatur, sic scribens: Sed quum fluxa est ac mutabilis novorum remedium fortuna!

Radix illa china tantopere laudata brevi vilescere visa est.

(lll) l. c. p. 57. autumat, quod china, lassaparilla & guajacum, virtute & efficacia interiores sint mercurio. Deinde quoque pergit asseritque chinam solam in decocto, nisi lassaparilla & guajacum addatur, nihil vel parum efficiat.

(mmm) In Tractatu de tumoribus p. n. c. 5.

(nnn) Vid. ejus Histor. Plantar. Lib. 5. cap. 4.

(ooo) Evolvantur ejus Opera Medica universa p. m. 318. 338.



cedematosis, hemicraniae mederi; nec minus malo ischiatico, arthritidi, ulceribus malignis, scabiei, emaciatis phthisicisque medicinam esse; Illis quoque quos calculus excruciat, praesto esse, ipsumque confringere (ppp). Ut paucis multa dicam, radix china a multis ut universale medicamentum (interdum sine ratione & experientia) consideratur & multoties adhibetur in omnibus morbis ex humorum impuritate nascentibus ut specificum. Utrum vero in his morbis usus chinae praestantior sit, quam in lue venerea; valde dubitamus, propterea quod (in praecedentibus §§. XV. & nota kk itemque §. XV. ejusque nota ll) jamjam fusius indolem inertem demonstravimus, & temporis atque chartae angustia uberiores demonstrationem prohibet (qqq).

§. XXIII.

Denique silentio praeterire haud possumus favorem complurium Medicorum erga hanc radicem, dum sibi per suasum habent, ejus decoctum, licet interdum

ma-

(ppp) Eos morbos in quibus decoctum hujus radicis prodesse dicitur optime enarrant **VESALIUS** l. c. p. m. 21. item **CARDANVS** l. c. **ZORNIVS** in *Botanologia Medica* p. 199. **ASTRUC** l. c. p. m. 129.

(qqq) vid. **BANCARDVS** l. c. p. 201. Conformat se no-

biscum, & notabilis est locus, quem ad illustrandum hoc assertum suggerit, & sic se habet: *In morbum Podagricis, in lue venerea, aliisque curatu difficilibus maximi usus existit, sed an effectibus promissis respondeat, merito dubitatur.*



magis dilutum, tamen ad sanguinem depurandum, acrimoniamque in eo hærentem alterandam ac eliminandam aptum esse. Non solum hinc sanis atque ægris non paucis tam in prandio, quam extra cœnandam tempus, ut prifanam vel potum ordinarium, sub forma calida & frigida præservative & curative suadent. Ne vero per frequentem hujus decocti usum ventriculus debilitetur, admittunt radicis nostræ Patroni, ut durante cœna aliqua vini generosi admisceatur portio. Inter alios HELVETIVS id quoque adstruit, & effectus decocti in sanguine acri, vehementer variis in locis laudat (rrr). Sicuti vero alia decocta

(rrr) Pluribus videre licet in ejus libro, quod Titulum gerit: *Traité des maladies les plus fréquentes & des remèdes propres à les guerir.* Tom. I. & II. In Tom. I. pag. 120 vocat decoctum nostrum: *Tisane de squine, dans les aigreurs & débilitéz d'estomac. & ulterius de usu & virtute ita locutus est. Le malade in sera sa boisson ordinaire, tant aux repas, qu'à hors des repas. Il pourra dans les repas y mêler un peu de vin bien mûr, s'il ne s'aigrit point. Il continuera cette tisane pendant un mois ou six semaines, un y ajoutant les*

*purgatifs indiques.* Et Tom. II. pagina 323. *La boisson, ait, ordinaire ne doit consister qu'en une tisane legere, fait avec la racine de squine, & le chiendent. Son effet sera d'adoucir les aigreurs de premieres voies, & detourner peu a peu, par la transpiration, ou par les urines, la ferosité dont le sang est souvent inondé. Le Malade en boira lorr qu'il aura soif, & même à ses repas. Mais s'il se sent l'estomach trop foible, il lui sera permis d'y mêler un quart, ou un tiers de vin de Bourgogne, ou d'autre bon vin bien mûr. Il n'en doit jamais*



cocta aquosa calida itemque aqua simplex calida dia-  
phoresin promovent, urinam pellunt & acria salia tan-  
quam menstruum appropriatum solvunt ac eluunt  
(S. XVII. not. 99): ita etiam decoctum hoc in tali-  
bus affectibus non aliter vires exerit suas  
absque virtute specifica.

mais boir de pur, sans une ex- du vin de Champagne & de tou-  
trême nécessité: & doit à plus tes les liqueurs spiritueuses.  
forte raison, s'interdire l'usage

F I N I S.





00 A 6419

ULB Halle 3  
004 103 424



f

5b.

29. Stck Handschrift









DE  
**RADICE CHINAE**  
EIVSQUE  
**LIMITANDIS LAUDIBVS**

AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI AC SVMME VENERABILI  
**DN. D. HERMANNO PAVLO  
IVCH**

SACRI PALATII CAESAREI COMITE  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET ADSESSORE PRIMARIO PATHOLOGIAE  
ATQVE PRAESES PROFESSORE PVBL ORD.  
SERENISSIMOR. SAXON. DVCVM VINARIENS. ET GOTHANI A CONSIL.  
AVL. ET ARCHIATRO N. N. ACADEMIAE CAESARAE NAT. CV-  
RIOS. COLLEGA

**PRO GRADV DOCTORIS**  
DISPVTABIT  
**IOANNES FRIDERICVS ERMEL**  
DRESDENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS  
HORIS CONSUVETIS.  
*DIE XXIII. NOVEMBR. MDCC LIII.*

ERFORDIAE  
Typis HERINGIANIS ACAD. TYPOGR.

